

ter (Lappon. Tornensis), quo tamen ita cum *C. saxatili* et *cæspitosa* confluit, ut ego saltem distingvere non valeam. Omnes autem in his ripis promiscue crescunt.

*Carex saxatilis* ab his qualitercunque differt 1:mo *rigida*, culmo semipedali rigido; spicis femineis binis oblongis, approximatis; bracteis auriculato-cuspidatis spica brevioribus; squamis acutis atris. Hab. super saxa in summis alpibus.

2:do *saxatilis a*, bracteis foliatis; spicis femineis oblongis remotiusculis. Vulgaris forma in alpibus.

3:tio *inferalpina*, culmo pedali; spicis pedunculatis elongatis subandrogynis; bracteis foliaceis; squamis lanceolatis, capsula longioribus. Hab. in subalpinis. His accedit *Carex aquatilis* var. *subacuta*: spicis sessilibus, superioribus androgynis; squamis lanceolatis cuspidatis, capsula multo longioribus. Hab. ad ripas fluminum in Lapponia Tornensi. *C. acutæ* adeo similis, ut vix nisi varietas ejus; tamen ob culmum obtusangulum, capsulas compressas etc. *C. aquatili* proxima. Sed etiam *C. salinæ* tam similis, ut nihilo nisi spicis sessilibus et magnitudine differat. Folia plana latiora, præsertim bracteæ. Squamæ vi-